



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XVI. De voto Castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](#)

Item de natura & gratia c. 43. Non igitur Deus impossibilia jubet ; sed jubendo admonet , & facere quod possis , & petere quod non possis.

Item cod. lib. c. 69. Eo quippe ipso , quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere ; hinc admonemur , & in facilibus quid agamus , & in difficultibus quid petamus . Omnia quippe fiunt facilita charitati , cui uni Christi sarcina levis est .

Item de gratia & libero arbitrio c. 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant , quando dicunt , non juberet Deus , quod sciret , non posse ab homine fieri . Quis hoc nescit ?

X V I.

De voto Castitatis.

S. Athanasius lib. de Virginitate. Postquam continentiam professa es , corpus tuum sanctificasti .

Origenes homil. 23. in lib. Num. Certum est , quia impeditur sacrificium inde-

indesinens iis , qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius est solius offerre Sacrifictum indesinens , qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.

S. Chrysostomus de virginit. c. 39. Si nupsit virgo, non peccavit : non de ea loquitur Apostolus , quæ matrimonio renuntiavit (evidens est enim, eam piaculum commisisse , & quidem infandum) sed quæ & expers matrimonii sit , & nondum hoc aut illud statuerit ; sed tanquam in meditulio harum cogitationum consistat. *Et post pauca* : quæ vidua mera sit, ei , si velit , nubere permittit : at quæ perpetuò vidua agere , Deo promisit , atque interim nubit , eam vehementer damnat , quæ initum cum Deo pactum calcet. Non ergo his , sed illis dicit : tamen si se non continent, contrahant matrimonium ; satius est enim , matrimonium contrahere , quam ardere.

Item epistola sexta ad Theodorum

E

Mona-

Monachum. Bonum quidem nuptias & ipse confiteor. Honorabiles, inquit, nuptiæ, & cubile immaculatum. Fornicatores autem & adulteros judicat Deus. Sed te jam servare non convenient privilegia nuptiarum: Angelorum enim societati semel junctum, illam relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est. Quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces; ego tamen & adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Angelus.

S. Augustinus in Psal. 75. de iis, qui perpetuam castitatem voverunt, ita scribit: Quid autem ait Apostolus Paulus de quibusdam, quæ voverunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater dicat: recedo de Monasterio: neque enim soli, qui sunt in Monasterio, per-

ven-

venturi sunt ad regnum cælorum ; & illi , qui ibi non sunt , ad Deum non pertinent . Respondetur ei : sed illi non voverunt : tu vovisti , tu retrò respexisti .

Item in Psal. 83. ita scribit : alius ex munere Dei majus aliquid vovit ; statuit nec nuptias pati . Qui non damnaretur , si duxisset uxorem , post votum , quod Deo promisit , si du- xerit , damnabitur ; cùm hoc faciat , quod ille , qui non promiserat : ta- men ille non damnatur , iste damna- tur . Quare nisi quia iste respexit re- trò ? Sic virgo , quæ si nuberet , non peccavit ; sanctimonialis si nupserit , Christi adultera reputabitur . Respe- xit enim retrò de loco , quò acces- serat .

Item lib. de bono viduitatis c. 8. Pro-
inde quæ se non continent , nubant ,
antequam continentiam profiteantur ,
antequam Deo voveant : quod nisi
reddant , jure damnantur .